

PRÆSIDEM

Stantem

Sed inopinata morte cadentem

In

VIRO

Magnifico, Generoso & Amplissimo

DOMINO

**GEORGIO
AUSTENIO**

Reipubl. Thorunens. Pro-Consule

Gravissimo

ac p. t. Præside vigilantissimo,

Ipso Exequiarum Die

Simoni & Judæ Sacro

Anno 1716.

Repræsentare voluit

Henricus Prochnau, R. M. C,



THORUNII,

Impressit Joh. Nicolai, NOB. SENAT. & GYMN. Typ.

C15



Ymbola, quæ cupidi legimus præclara Po-
tentum,
Sunt multis passim concelebata modis.
Multis, ingemino, vix sufficientibus autem,
Majorem laudem cum meruere diu.

Explanant etenim mentem Ducis, ipsaque facta,
Æmula sublimi menti animoque suo.

Quin quod & instimulent alios virtutis amantes,
Illorum sensum qui penetrare student.

Inter tot vero minus haut quoque claret & illud:
Stantem nimirum Principis esse mori.

Nomen forte rogas, id quis sibi vendicet? audi.

Princeps, Dux fortis Vespasianus erat,
Cuius & absimilis nec filius, inde vocatus
Humanæ vitæ delictum atque decus,

Hi fatis etsi dudum cessere, profecto
Non est, hos quod quis plane abiisse putet.

Sunt oculis tantum subducti corpore nostris,
Virtus in multo Principe sæpe viget.

Mirari veterum per plures secula credo

Ob tot præstantes præcipuosque Viros,
Sed, qui contemnat forsan præsentia, quisquam
Vix dabitur compos si rationis erit.

In multis quod adhuc revirescat gloria prisca,
Quam modo sectandam proposuere sibi.

Roma potens jactet *Corvos*, jactetque *Metellos*,
Jactet adhuc alios, si lubet, illa Duces.

Non tamen & delunt nobis, Urbique Thorunæ,
Horum quos Virtus ornat & alma Fides.

Quique satis memores mandati muneris usque
Stantes in curis suntque manentque suis.

Et qui (*) *nil obiter*: [**] *nil quæ se forte juvarent*,
Sed Populum, faciunt nocte dieque suum.

(*) Symb. Lucii Aurelii Veri.

[**] Symb. Aliani.

Ac nulli parcunt operæ, quin singula semper
Spectant, quæ pacem conciliare queant,
Sæpe, *laboremus*: clamant ex ore Severi,
Namque salus Urbis, fas pietasque iubet,
Ex horum numero Præles, Vir inclutus AVSTEN,
Patria cui curæ, cui quoque civis erat,
Sæpe dies totos totas noctesque laborans
Hic indefessus cumque vigore stetit.
Nunquam pertæsus curarum curiam adibat,
Lætarus curas participare novas.
Quas partim pro se, partim quoque pro grege toto
Susciperet, Pastor ceu bonus usque solet,
Insomnes somnos duxit, ne somnia forsan
Res Urbis solidæ præcipuæque forent.
Ut dicam paucis: en, omnis denique vita
Vera fuit *Statio* continuusque *labor*.
Proxima fatalis, qua *stans* in curia acerbos
Ictus excepit, lux tibi testis erit.
Ecce *Ducem stantem, morientem* denique nostra
Urbis pro imperio forrifer, ecce *Ducem*,
O non auditam vete simul atque stupendam
Rem! dum tam subito Præses in urbe cadit,
Proque luo populo *vigilans, stans* atque *laborans*
Nobile tam corpus, mox animamque dedit.
Non dubito, multos fore, qui tam sæva flagellent
Censuris rigidis fata, malisque modis.
Hi potius vero discant compescere linguam,
Ac ori geminas imposuisse manus.
Nos satis edocti meliora relinquimus hæcce
Consilio summi iudicioque Dei.
Dicentes divo cum Paulo: *Numinis unquam*
Quis novit tacitas insolitasque vias?
Hinc miranda quidem, sed non rimanda voluntas
Est Domini, quoniam non nisi iusta manet.

Laudan.

Laudandumque pium, sanctum & mirabile nomen
Eius in æternum, qui bene cuncta facit.
Tu, qui pro lacrymis iustis sacra vota mereris,
Dignus, pro cura cui detur alta quies,
De fama, quæ vel post secula multa virebit,
Ac memori nunquam pectore forte cadet,
Plura relaturus, præsens angustia chartæ
Ni mihi sat prompto plura referre vetet,
Interea nobis non mortuus esse videris,
Desisti tantum vivere, crede mihi.
Officiis curæ; quas forti pectore semper
Hic exantlasti, signa probata manent.
Addo, quod hæsiisti quoque civis ab ore querentis
Pendulus, ut posses usque iuvare probos.
Integer hinc vitæ, sceleris sat purus & omnis
Inter cœlicolas nunc animosus ovas,
Ac eluctatus ceu constantissimus hicce
Athleta ex multis innumerisque malis.
Denique ceu victor generosus in axe triumphas,
Psallis & æterno carmina grata Deo.
Curia gratatur, gratantur Tempa Scholæque,
Urbs tota ex animo dat pia vota TIBI.
Et vel post cineres uno velut ore profatur :
AVSTENVVM nostrum secula mille beent !



inu 13004

K. H. 3 adl 15